PETRUS COMESTOR
Prag?, 2. Drittel 13. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8320
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ris egypti. Tunc tobias ait ad virginem.
Sarra: deprecemur dominum hodie et cras et secundum
cras. his tribus noctibus iungimur deo. Quar-
ta nocte in nostro erimus coniugio. filii enim
sanctorum sumus. nec possumus ita coniungi sicut
gentes que ignorant deum. Instanter adoraverunt
ambo simul dominum dicentes. Miserere no-
bis domine deus patrum nostrorum. miserere nobis et
consenescamus ambo pariter sani. Porro circa
pullorum cantum. fecit raguel parari se-
pulchrum. ut sepeliret eum priusquam illuce-
sceret. et misit unam de ancillis ad videndum
si iam obiisset. Que reversa: nunciavit
eos incolumes esse et secum pariter dormien-
tes. Et laudaverunt omnes dominum et reple-
verunt servi foveam quam fecerant. priusquam
lucesceret. et paraverunt sollempne convi-
vium: omnibus vicinis et amicis suis. et ad-
iuravit raguel tobiam. ut duas ebdo-
madas maneret apud eum. et dedit ei me-
diam partem omnium que possidebat fa-
ciens scriptam. ut reliqua pars que supererat.
post obitum suum deveniret ad tobiam. Tunc
ait tobias ad angelum. quem hominem es-
timabat azariam. frater tu nosti quam anxius
sit mora mea parentibus meis. Obsecro
ut eas ad gabelum. et reddes ei cyrographum
suum. et recipias ab eo pecuniam. et
moneas eum venire ad nuptias.
Tunc assumens raphael. iiii. de ser-
vis raguelis et duos camelos. venit
ad gabelum. et recepta pecunia. du-
xit eum ad nuptias secum. et ingressus ga-
belus: invenit eos discumbentes. et
benedixit eis. Cumque omnes dixissent
amen. cum timore domini nuptiarum
convivium exercebant. Porro cum
tobias moram faceret in nuptiis. sol-
licitus erat pro eo pater eius. quod ad diem
determinatam non redierat. Mater
vero lacrimis irremediabilibus flebat
dicens. heu me fili mi. ut quid te misi-
mus peregrinari lumen oculorum nostrorum ba-
culum senectutis nostre. Vir autem eius so-
labatur eam. Porro raguel dicebat
ad generum suum. Mane hic. et ego mit-
tam nuntium salutis tue ad patrem
tuum. Cumque ille non acquiesceret. tra-
didit ei saram. et dimidium substantie sue in pu-
eris. in puellis. in pecudibus. in camelis. in
vaccis. in pecunia multa. Parentes vero
monuerunt filiam suam honorare socerum. di-
ligere maritum. regere familiam. gubernare do-
mum. et seipsam irreprehensibilem exhibere.
Cumque reverterentur: pervenerunt ad carram que est
in itinere medio. Et ait angelus ad tobiam. pre-
cedamus nos duo. et sequetur nos lento gradu
uxor tua et familia cum animalibus. et tolle
tecum de felle piscis. et linies ex eo oculos pa-
tris tui. et recipiet visum. Porro anna sede-
bat secus viam. cotidie in supercilio montis.
Unde respiciens poterat de longinquo et cognoscens
a longe filium venientem. cucurrit ad virum
suum. dicens. Ecce filius tuus venit. Canisque
qui simul fuerat in via. precucurrit. et quasi
nuntius blando motu caude gaudebat. Tunc
exurgens cecus data manu puero: pro-
cessit obviam filio suo. et osculantes filium:
fleverunt pre gaudio. Cumque adorassent
dominum: consederunt. Tunc tobias de felle pi-
scis linivit oculos patris. et sustinuit quasi di-
midiam horam. et cepit egredi albugo ex oculis
eius. quasi membranum ovi. Quod apprehendens
tobias extraxit ab oculis eius. statimque visum
recepit. et glorificabant omnes dominum. et ait tobi-
as. Benedico te deus israel. quia castigasti me.
et sanasti me. et ecce video tobiam filium
meum. Ingressa est autem post dies. vii. sarra u-
xor eius cum omni substantia sua. et pecunia que
receperant a gabello. et convenerunt con-
tribules et vicini ad tobiam. et congratula-
bantur ei per. vii. dies. epulantes cum gau-
dio. Cumque narrasset tobias patri suo
per ordinem bona que fecerat ei angelus in
via. tulerunt angelum in partem. rogantes
ut dignaretur dimidiam partem omnium que
attulerant acceptam habere. Tunc dixit
ei angelus occulte. Benedicite deum celi.
et coram omnibus viventibus confitemini
ei. quia fecit vobiscum misericordiam suam.
Etenim sacramentum regis abscondere bonum
est. opera autem dei revelare et confiteri ho-
norificum est. Non abscondam a vobis
sermonem occultum. Bona est oratio cum
ieiunio et elemosina. Cum orabas. et de-
relinquebas prandium. et abscondebas mor-